

Respondetur eodem modo quo supra (hoc enim difficultatem non addit) quod quando dicimus Deum sua volitione efficaci causare non solum actum, sed etiam libertatem ejus, etiam dicimus quod causat illud indifferens judicium, a quo formatur libertas, et a quo dependet intrinsece: illud enim indifferens judicium etiam a Deo pendet, sicut et actus voluntatis. Unde non est volitio Dei concomitans, sed etiam antecedens cogitationem ipsam, et actum illum ut indifferentem, et liberum, quia causat illam libertatem, et indifferentiam, etiam in judicio: nec enim solum libertatem formalem in voluntate, sed etiam radicalem in judicio causat.

XLIII. Tertio arguitur: Prædefinitio absoluta oritur ex efficaci intentione absoluta alicujus rei, et inde denominatur absoluta prædefinitio, quia talem intentionem supponit: sed non potest in Deo intelligi efficax voluntas, ut dependens in sui efficacia ab alia volitione postea habenda, sed hoc ipso quo intelligitur efficax efficacia summe perfecta, et divina, repugnat intelligi efficacem cum dependentia ab alio ulteriori actu, sed in se, et ratione peculiaris sui connotati efficax esse debet, et effectum sortiri: ergo si datur intentio Dei efficax, et absoluta ante prævisum consensum, et præparata media, independenter ab omni medio, et ab omni consensu voluntas effectum habebit. Hoc autem impossibile est, quia sine consensu meo libero aut cum illo coacto non efficitur actus ille prædefinitus, v. g. contritio: ergo efficax intentio absoluta, id est, omnia media antecedens, omnino neganda est in Deo propter summam illius efficaciam perfectionem. In toto hoc discursu solum probatione videtur indigere illa minor, quod videlicet hoc ipso quod aliqua volitio, seu intentio est

efficax efficacia summa, non est dependens ab ulteriori actu. Et hoc patet, quia ubi est summa efficacia, est efficacia omnipotens: ergo ulteriori efficacia non eget ad sui executionem, alias non intelligeretur omnipotens. Efficacia ergo in voluntate Dei intentiva nullo modo potest intelligi talis, nisi ex se, et ratione proprii connotati habeat effectum. Unde si est efficax circa aliquid pendens ab altera causa, vel pendens ab aliquo medio, non potest intelligi sic efficax ante tale medium, et talem causam prævisam, et præparatam, non vero per absolutam efficaciam antecedentem ista media, et illam causam. Quod secus accidit in voluntate creata, quia hæc ut efficax, non requiritur quod summo, et omnipotenti modo efficaciam habeat, sed dependenter a mediis, quæ non sunt in manu propria semper, nec semper infallibilia. Unde licet impediri contingat, hoc tamen non evacuat humanæ voluntatis efficaciam, quia est efficacia sic dependens, et solum modo humano, et in suo genere efficax.

XLIV. Respondetur quod divina efficacia etiam ordine intentionis, et ex parte finis est efficacia summa, et omnipotens, non tamen supponens, sed causans omnia media, et effectus, et ipsum etiam conatum ex parte nostra, et consensum, et hoc ipso quia omnipotens est: sed sicut res istæ habent inter se ordinem, et connexionem, ita intelliguntur habere ex parte decretorum Dei, non quod plura decreta dentur ex parte Dei, aut multiplicatio voluntatum, sed quia ratione diversorum effectuum, qui inter se ordinem habent, et a voluntate ipsa divina connotantur, dicuntur decreta multiplicari, sicut etiam ideæ, ut supra dictum est disputatione prima. Quare efficacia intentionis ita inten-

dit finem determinate, et in singulari assequendum, quod etiam est ratio, et causa determinati medii, et actionum ad talem assecutionem requisitarum, sed non est exercitium, et executio hujus assecutionis, nec intelligitur in ipsa efficacia intentionis ipsa executio exercita, et explicata, sed solum intelligitur efficax principium, et ratio unde derivatur illa executio. Et sic efficacia executionis virtualiter est ibi contenta, et quasi in suo initio, et principio, nondum tamen explicata in exercitio, sed solum explicatur causa, et ratio unde illa derivabitur, scilicet ex fine efficaciter intento in vi finis, nondum in vi efficientis posito. Et quando instatur, quod illa efficacia intentiva est divina, et omnipotens: ergo non indigens ulteriori efficacia, nec dependens ab illa, respondetur quod licet illa efficacia intentiva, sit divina, et omnipotens in ratione intentionis, et sic non indigeat ulteriori efficacia in illa linea intentionis, nec extra Deum accepta, nec in ipso Deo indiget alio distincto actu, quia ex parte Dei non dantur plures actus, nec unus causatur ab alio, tamen ille unicus, et indivisibilis actus in seipso habens omnem efficaciam ordine intentionis, et executionis, non explicat sub quolibet conceptu omnem formalitatem, et habitudinem suam, et quatenus solum explicat habitudinem, et ordinem intentionis, intelligitur illa efficacia quasi inadæquate, et partialiter, quatenus explicat efficaciam in sui initio, et principio; unde habet derivari, et causari complementum efficaciam circa media, quia videlicet solum explicat vim efficaciam prout attingit finem, et virtualiter potest causare, et derivare efficaciam in media, sed nondum intelligitur ut actu derivans, et actu explicans habitudinem executionis in

mediis; et sic illa efficacia finis in linea intentionis expectat ulteriorem efficaciam circa media in linea executionis, non quasi extraneam a se, et per modum indigentiam, sed tamquam in se inclusam, cum infinita sit, sed non explicantem quolibet conceptu omnem suam formalitatem, sed aliquando explicat solam efficaciam intentionis, deinde efficaciam executionis, hanc tamen derivatam ex priori, non quia sit duplex actus in Deo, nisi tantum virtualiter, et ex parte objectorum, quia per diversos respectus ad objecta explicatur. Unde ex eo quod sit illa efficacia omnipotens et divina, solum sequitur quod in re utrumque ordinem includat, et intentionis, et executionis, et quod in re, et entitative idem actus, eadem efficacia sit intentionis, et executionis, non eadem formalitas, et respectus: sicut misericordia, quia divina est, est idem quod justitia, sed non eodem modo explicatur in nostris conceptibus justitia divina, et misericordia.

XLV. Instabis: Ideo distinguuntur decreta plura in Deo, non quia sint plures actus ex parte Dei, sed quia sunt plures respectus ad diversos effectus, seu ad diversas formalitates quas connotant in objectis, et juxta objectorum diversitatem, diversa decreta denominantur, sed ex efficacia intentionis nullus effectus resultat in objecto qui connotetur ab ipsa, distinctus ab illo qui ex efficacia executionis resultat; nam circa quemcumque effectum seu formalitatem quæ assignetur, et datur intentio de illo et executio; et sic idem effectus ad utramque efficaciam spectat, et utramque petit: non ergo ex distinctione istorum connotatorum sumitur diversa illa efficacia. Et præterea, quia si efficacia intentionis diversum effectum connotare debet in objecto, ut ratione illius

distinguatur ab efficacia et decreto executionis, illud decretum jam erit executionis etiam, et non solius intentionis, quia aliquem effectum ponit de facto in objecto quo sigillat illud, et distinguit in ratione decreti intentivo a decreto executivo.

Respondetur quod, ut supra disputatione quinta attackum est agendo de efficacia divinæ voluntatis, dividuntur auctores in hac parte: quidam enim existimant posse variari, et multiplicari decreta in Deo sine variatione aliqua reali, et physica ex parte objecti connotati, sed solum propter diversum finem, aut diversam moralitatem in objectis reperitam, sicut pro sua voluntate potest alicui obligationem imponere, vel relaxare sine ulla mutatione reali ex parte hominis, quas opinioniones ibi retulimus.

Specialiter autem in assignando diverso connotato circa decretum intentionis Dei, et decretum executionis, non modica dissensio est. Aliqui dicunt intentionem efficacem solum connotare rem ut futuram, seu existentem, id est, de facto ponendam, non vero connotare actionem, seu agens aliquid, per quod fiat, quia hoc pertinet ad media, et ad ordinem executionis. Alii putant connotare existentiam cum aliqua actione, et causa, id est, cum illa a qua immediate fit, et pendet effectus; sive sit causa extrinseca sive intrinseca, quia sine his non potest res ut existens, et fienda, practice, et in re, seu de facto concipi; actiones vero, seu motiva, aut causæ remotæ per quas disponitur quod res fiat, dicunt quod non pertinent ad ordinem efficacis intentionis, sed executionis. Alii in effectibus pendentibus a libero nostro arbitrio, et mediis moralibus, seu liberis, dicunt intentionem non esse efficacem determinate, nisi connotet etiam ta-

lem causam liberam, in effectibus autem physicis esse efficacem intentionem, sine causis secundis a quibus fit, sed earum dispositionem ad aliam voluntatem, quæ est circa media, pertinere. Alii efficacem intentionem non fieri nisi in aliquo medio, v. g. consensum in congrua vocatione; et sic illam connotari ab intentione efficaci. Alii denique censent intentionem efficacem non connotare aliquid; quod de facto fiat in effectu, ex vi illius voluntatis præcise, sed quod fiet per aliam voluntatem ortam ex priori, eo quod illa intentio non exequitur per se effectum, sed per aliam voluntatem executivam, et sic connotat ordinationem in effectu, ut fiat per aliam voluntatem, quæ ordinatio est extrinseca denominatio amati per modum finis.

XLVI. Nos ergo dicimus juxta id quod supra disputatione quinta resolutum est, quod diversitas decretorum non exigit necessario variationem, et diversitatem physicam ex parte objectorum, sed sufficit diversa ordinatio in objecto ad diversum finem, vel modum quo res illa potest fieri vel ordinari, etiam nulla realitate vel reali mutatione sibi impressa. Sicut, v. g. potest Deus eadem rem velle conferre uni, titulo mere gratuito, alii oneroso, et ex justitia, ut dare gloriam alicui ex meritis, alii omnino liberaliter. Ubi ordo ad merita non semper est ordo realis in gloria, quia nec semper merita existunt, neque ad illa ex natura rei ordinatur, sed ex beneplacito Dei, cum possit dari sine meritis; similiter quod sit illa gloria liberaliter donata, nihil intrinsecum ponit in ipsa gloria. Et tamen diversum decretum exigit una collatio gloriæ, et altera. Idem educitur ex allatis exemplis de impositione, aut relaxatione legis, aut voti, quæ sine ulla mutatione reali a Deo fieri pos-

sunt, aut de conditione extrinseca alicujus debiti præsertim pœnæ, quæ potest a Deo relaxari, sine alicujus realitatis impressione in eo, cui fit relaxatio. Nec verum est quod aliqui dicunt, hanc relaxationem fieri non posse nisi aliquo intrinseco interveniente, scilicet ablato fundamento illius moralitatis, et illius debiti, ut si alicui, qui est contractu matrimonii est maritus, tollat Deus illum effectum moralem, qui est esse maritum, per suspensionem concursus quo conservabat vitam uxoris, qua moriente desinit esse maritus. Ita solvit p. Alarcon tract. III de voluntate Dei, disp. v, c. III, n. xv. Lepide sane. Quasi dubium sit quod per mortem uxoris, etiam naturali modo factam, cesset ille effectus moralis, qui est esse maritum: nec ad hoc oportet recurrere ad suspensionem concursus divini tollentis vitam uxoris; sed ex natura sua contractus ille talis est, quod mortua uxore desinit esse maritus, etiam si ab homine, vel bestia occidatur, sine hoc quod recurramus ad suspensionem divini concursus, sed casus noster est, quod Deus de sua potentia absoluta potest etiam vivente uxore relaxare vinculum matrimonii, et tollere ab illo obligationem mariti, ita ut libere aliam ducere possit. Et tunc per illud decretum relaxativum obligationis, nihil reale ponit in marito, quia nihil reale exigitur ut sit solutus obligatione, quæ est pure moralis. Item decretum de annihilando hoc universo, vel aliqua creatura, aut de non producendo creaturas possibles, quid reale ponit in objectis? Cum potius omnem realitatem tollat annihilando, aut nolendo producere; ergo sine hoc quod connotet aliquam realem mutationem in objecto, datur novum decretum in Deo.

XLVII. Neque ex hoc sequitur de eadem realitate verificari duo con-

tradictoria, quod nullo modo admitti potest, quantumcumque res ipsa sit eminens, quia in contradictoriis, negatio absolute, et sine restrictione posita tollit omnia. Et ideo nunquam concedendum est, quod simul possint de voluntate divina duo contradictoria verificari, v. g. quod simul Deus velit propter solam redemptionem Christum venire, et non velit propter solam redemptionem Christum venire. Hæc duo nunquam simul, et pro eodem instanti possunt de Deo verificari. Et ad legem contradictoriarum requiritur quod sint ejusdem de eodem pro eodem tempore, etc. Deus autem licet eodem actu possit velle, et non velle, et velle propter illam rationem, aut propter aliam, non tamen potest simul velle, et non velle, aut velle propter istam rationem et non propter illam, sed potest velle unum, aut alterum, non simul utrumque. Quod vero eadem entitas et actus utrumque possit in se immutata, dicitur id non esse inconveniens, quia non utrumque contradictorium simul potest, sed quodlibet divisum, imo et omnia potest propter infinitatem, et eminentiam illius actus, qui potest ea quæ plures actus in nobis. Et licet in se sit immutatus, tamen volendo, et nolendo mutat res ipsas, non quidem semper ponendo in eis realitatem aliquam novam, sed quando vult ponit, quando non vult tollit, quia contradictorium causat; et ideo potius quia illa realitas actus contradictoria potest causare in objectis, oportet quod non semper connotet realitatem, sed aliquando connotet illam, aliquando ejus negationem.

XLVIII. Sic ergo actus intentionis efficax prout distinguitur ab executione, connotat in objecto ordinationem aliquam, qua res illa dicitur amata ut finis, et intenta eo modo, et ratione, ut ex illa possit sequi ap-

positio mediorum, et consecutio ejus in executione, quod non fieret, si sic non intenderetur, quæ ordinatio, et directio passive accepta in objecto solum est denominatio extrinseca. Non est autem necesse quod efficacia intentionis ponat aliquid de facto executum in objecto, et efficacia executionis aliud, sed illud quod de facto ponendum est per executionem, tangitur per efficaciam intentionis, ut ordinatum, et directum per modum finis, ut ex tali modo directionis sequatur mediorum præparatio, et rei executio. Nec requiritur plus connotationis ad diversificandum decretum, quam nova ordinatio, aut novus modus vel respectus, sub quo res sic est volita et decreta a Deo.

XLIX. Et si adhuc instes: Nam, ut communiter docere solent Thomistæ III p. q. I, a. I:1, ex vi præsentis decretum Christus non veniret, si non veniret Redemptor, et ex suppositione peccati, nec poterat discerni per modum intentionis Christus venturus, abstrahendo a passibili, vel impassibili, eo quod efficax voluntas Dei debet esse de omnibus circumstantiis in particulari, quia respicit rem, ut de facto, et in re: ergo supponunt quod efficax decretum etiam intentionis esse non potest, nisi supponendo omnia requisita ex parte mediorum, et executionis, quibus res illa in particulari, cum omnibus circumstantiis intendatur, si efficaciter intenditur.

Respondetur dupliciter. Primo, quod decretum efficax de Christo venturo, vel circa quamlibet aliam rem, est cum omnibus circumstantiis in particulari, vel per illum actum immediate, et formaliter, vel per alium ex vi illius consecutum, et virtualiter in ipso contentum. Et quia decretum illud intentionis ita est efficax, quod ex vi illius natum est sequi decretum exequens cum

talibus circumstantiis, et determinato modo, dicitur tendere in rem determinate, et cum omnibus circumstantiis, quia est principium, et ratio sic tendendi, et in illo jam virtualiter continetur, non tamen per se immediate, sed mediate, et per alium actum ex se derivatum; ita tamen ex se secutum, quod si non derivaretur, non esset illudmet decretum intentionis efficacis, sed aliud, sicut natura ex qua non sequuntur proprietates tales, non est talis natura. Secundo, dicimus quod aliud est loqui de subjecto, et conditionibus personalibus ejus in particulari, et determinate aliud de mediis quoad executionem. Ad intentionem efficacem requiritur quod feratur in rem individualiter, et cum his circumstantiis quæ pertinent ad illam in se, et ad ejus existentiam de facto, alias non esset efficax intentio, aut si mutarentur conditiones illæ, mutaretur intentionis decretum. Ad disponenda vero media, et executionem, requiritur aliud decretum executivum, sed ex vi prioris ortum, et derivatum ex suppositione illius.

L. Quarto arguitur pro sententia Suarez ad probandum divinam providentiam non indigere necessario prædefinitione ad providendum de omnibus: Nam peccata omnia prædefiniri non possunt a Deo, et tamen habet circa illa providentiam: ergo divina providentia non indiget simpliciter prædefinitione. Non prædefiniri autem peccata a Deo certissimum est, quia non intenduntur a Deo: nec enim respiciens ad malum operatur. Et non solum urgetur hoc in ipsa malitia formali peccati, sed etiam in ipso materiali peccati. Nam materiale ipsum etiam Deus non prædefinit, licet ad illud concurrat quando de facto fit. Et ratio est, quia Deus non intendit absolute, et efficaciter materiale peccati, alias tenebitur Deus

ex vi talis intentionis efficacis malitiam ejus permittere, quia sine malitia adjuncta non potest illud materiale poni in rerum natura, cum sit ei essentialiter annexus defectus. Est autem contra rationem permissionis quod Deus obliget se ad permittendum malitiam: sic enim refunditur illa permissio, et illa malitia in voluntatem Dei, quia voluit sic intendere entitatem illam, ut obligaverit se ad permittendum malitiam: indirecte ergo malitia est volita ex vi prioris voluntatis. Et deinde, quia prædefinito actus liberi est ratio omnium mediorum, quæ ad illum ponendum requiruntur: ergo excitationis, et propositionis objecti, et cæterorum requisitorum ex parte moralis motionis: hæc enim se habent ut media ad dictum finem, scilicet ad talem actum liberum eliciendum: ergo oriri debent ex voluntate efficaciter intendente dictum finem. Consequens autem est omnino absurdum, quia sic Deus esset causa illius moralis motionis ad materiale peccati, et suasionis atque excitationis ad ipsum, quod non potest esse sine influxu in ipsam malitiam, eo quod suadens ad entitatem peccati, non potest ab ejus malitia præscindere.

Confirmatur, quia Deus per illam intentionem absolutam, et efficacem prædefinientem non præstat majorem efficaciam mediis, aut infert majorem vim voluntati, quam ipsa media congrua, et vocatio, ac cætera, quibus voluntas illæsa libertate movetur: hæc autem ex se habent sufficientem vim ad movendum voluntatem, et præsciuntur a Deo quod in tali vel tali occasione movebunt de facto: ergo sine illa absoluta, et efficaci intentione poterit Deus æque bene ad effectum perducere illum actum liberum: ergo non indiget prædefinitione ista ab-

soluta, et efficaci ad directionem suæ providentiæ.

Respondetur quod nos ad illa extendimus providentiam, et prædefinitionem Dei, ad quæ extenditur ejus causalitas et operatio, ita quod omnia quæ ab eo procedunt, et causantur per executionem suæ potentia, diriguntur per suam providentiam, et prædefiniuntur ab ejus absoluta intentione: hæc enim est regula qua utitur D. Thomas in hac quæstione XXII, art. II, ostendens omnia cadere sub divinam providentiam, quæ cadunt sub divinam causalitatem, scilicet omnia entia, ut entia sunt. Et infra qu. XXV, art. V ad 1, quod non potest esse quod aliqua faciat Deus quæ non præscierit, et præordinaverit; si quidem potentia causans effective non est aliud, quam executiva vis divinæ directionis. Quare cum peccatum sub ratione malitiæ a Deo non causetur, quia ut sic est defectus a Deo, non effectus ejus, consequenter neque præfinitur a Deo. Versatur autem providentia divina circa illud, non causando aut intendendo, sed permittendo, et commissum postea puniendo, aut remittendo, quod pertinet ad aliam partem divinæ providentiæ.

LI. Ad id vero, quod additur de materiali peccati ut entitas quædam est, et sub conceptu entitatis, prout sic est effectus Dei cum fit vera entitas creata, et consequenter ab ejus influxu, et concursu dependet, quod ita certum judicat S. Thomas in secundo, distinctione XXXVII, qu. II, art. II, quod oppositum dicit esse errori propinquissimum. Quid enim tam propinquum errori, quam ponere entitatem veram, et creatam, et a Dei influxu, et causalitate non pendentem? Hæc ergo entitas, sicut in eo quod entitas est, a Deo causatur, ita in ratione entitatis a Deo in-